



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Resolutorium dubioru[m] circa celebratione[m] missa[rum] occurrentiu[m]

Heynlin, Johannes

Colonie, 1501

VD16 H 3452

xij Quid si sacerdos missa incepta moriat[ur] vel in i[n]firmitate[m]
i[n]cidae

urn:nbn:de:hbz:466:1-34702

Sextum

Solo. Non debet nisi occurrat aliqua rationabilis et sufficiens causa. Quid agendum sit si sacerdos post missam inceptam moriatur, vel in tale infirmitate aut debilitate inciderit ut non possit perficere.

Solo. Si aliquod istorum contingat ante consecrationem, non est necessarium quod missa per alium perficiatur, potest tamen fieri si assit alius sacerdos dispositus, et ille incipiat ubi prior dimisit, quod si nesciat potest incipere a principio. Si vero aliquid predictorum contingat post consecrationem corporis et ante consecrationem sanguinis vel post consecrationem utriusque, tunc debet suppleri et perfici missa per alium dispositum. Si autem contingat in prolatione verborum consecrationis hostie verbis iam in parte prolatis, similiter perficiatur per alium qui incipiet ibi. Qui pridie etc. Et si hoc contingat in consecratione sanguinis, incipiat ibi. Simili modo etc. Sic etiam agendum videtur cum dubitatur utrum prior sacerdos inceperit verba consecrationis proferre et non profecerit. Nec reputandum est tunc fieri reiterationem, quia non intelligitur reiterandum quod ambigitur esse factum.

iiij Solo. Quid agendum sit si celebranti sanguis per nares erumpat et fluat. Pausare debet reclinando vel sedendo donec fluxus cesserit. Cavere autem debet ne vestes vel sacra per sanguinem inquinentur recipiendo illum vel in aliquo vase vel panniculo put discretioni sue melius convenire videatur. Si autem ille fluxus resisti non possit, nec sacerdos officium perficere, tunc agendum est ut in casu dubij precedentis.

iiij Solo. Quid agendum est si sacerdos omittat aliquid vel aliqua de dicendis vel agendis in missa.

Solo. Si observet ea que necessario ad consecrationem requiruntur consecrat, sed tamen graviter peccat si scienter omittat aliquid notabile ex institutione vel ex consuetudine ecclesie ad hoc officium requisitum, ut puta missam introitum, epistolam, evangelium vel hymnum. Si autem aliquid modice reputationis vel ex negligentia omittat minus peccat, diligenter tamen cavere debet ne hoc contingat.

¶ Resolvit quatuor dubia que occurrunt circa dicenda, agenda, et cavenda post missam celebrationem.

I Solo. Utz aliqua specialiter sint dicenda post missam celebrationem. Sic primo namque et ante omnia dicende sunt corde et ore debite et devote gratiarum actiones. Cum enim (ut et ipse celebrans in prefatione protestatur) dignum et iustum sit atque equum et salutare, ut semper et ubique domino gratie agantur, quia in nullo loco vel tempore nobis beneficia sua clementer largiri cessat, dignissimum ergo iustissimum et equissimum est ut hoc fiat post huius beneficii perceptionem, et tanto diligentius atque devotius quanto inter omnia beneficia hominibus a deo collata illud unum de maximis habetur. Non solum autem ideo gratias agere debet celebrans ne propter ingratitudinem de tanto benefi-

Dubium

Art. iij.

Dubium

L i